



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. II. Commendatio errorum Arrii, & de Homousion.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

*filius sicut est. Propter nos enim factus est, & nos per eum, tanquam per instrumentum, creavit Deus; & ne quaquam substitisset, nisi nos Deus facere voluisset. Non ergo naturaliter est Dei filius, nec aliquam habet ad Deum proprietatem, quando etiam ipsum, naturæ mutabilis existentem, propter moderationem, diligentiam, & virtutem, non mutatum ad deteriorius, elegit Deus: cum et si Paulus & Petrus ad hoc pervenissent, nihil Iesus posset ab horum filiatione differre.* Hic ergo Arrii blasphemus error Ecclesiam conturbat, quæstio latius innotescit; quam Alexander Alexandrinus Episcopus, persecens Arrium, Zelo fidei innotescere facit. Sermo pervenit usque ad Principem *Constantinum*. Tunc ille ex sententia Sacerdotum apud urbem *Niceam* convocat Episcopale Concilium, ibique trecentis decem & octo Episcopis residentibus cæterisque honorabilibus personis, Philosophis ac Dialecticis, & opinatissimis quibuscunque Scholasticis, Arrium adesse jubet, ac de ejus propositionibus & quæstionibus judicari. Ex utraque Historia permixtum.

## C A P. II.

*Commendatio errorum Arrii, & de Homouion.*

Tunc de fide ibidem subtiliter disseritur, errorque Arrii condemnatur manifestis scripturarum dictiōnibus, quia & Deo filius naturaliter unigenitus est Verbum, virtus, sapientia solius patris, & Deus verus, Sicut Ioannes ait, *splendor gloriae; & figura substantiae Patris*

*tie Patris.* Verum post diuturnum multumque tractatum placet omnibus *Homousion* scribi debere, id est, ejusdem cum patre substantiae filium confiteri. Defertur ad Constantimum Sacerdotalis Concilii sententia, quam ille ut à Deo prolatam veneratur, & contradictibus comminatur exilium. Exemplum autem sententiae vel Nicenæ fidei est hujusmodi.

## C A P. III.

## Nicena fides.

**C**redimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Iesum Christum, Filium Dei, natum ex patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiae, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terris. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, de cælis descendit, & incarnatus est, homo factus. Passus est, & surrexit tertia die, & ascendit in cælos: inde venturus judicare viuos & mortuos. Dicentes autem: Erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur; vel non erat, antequam fieret; aut quia ex non existantibus factus est, aut ex alia substantia, vel subsistentia; dicentes etiam aut convertibilem, aut mutabilem filium Dei, hos anathematisat Catholica & Apostolica Ecclesia. Hanc venerabilem fidem trecenti decem & octo Episcopi amplexi sunt, inter quos major adhuc numerus erat Confessorum Chri-

M

sti &amp;